

exponitur non licere (24). Hoc responsum confirmavit iisdem verbis sacra Poenitentiarum in responsione ad Episcopum Lausanensem die 1 Iulii eius-

demque quod ad voluntatis imperium virtutem suam in hunc et non in alios homines exserat, adeo ut, v. gr. odor unius tantum, non aliorum nares afficiat. Ergo.

7<sup>o</sup> Repugnat legibus physicis, quod hominis aures dum levissimus afficit sibilus, non afficiat tamen bellici tormenti aut fulminis fragor; et pariter quod persentiat digiti aut cincinni contactum, qui tamen ne candens quidem ferrum admotum persentit. Atqui et haec phaenomena in homine vi magnetica in soporem inducto apparent. Ergo.

8<sup>o</sup> Homo in soporem magneticum semel inductus dum neque per se, neque ullo alio medio quantumvis violento e somno excuti potest, excitatur tamen ad merum magnetizatoris utut longe absentis imperium. Atqui haec actioni causarum mere physicarum manifeste repugnant. Ergo.

9<sup>o</sup> Insuper 1<sup>o</sup> persona sopore magnetico correpta quaslibet cuiusvis obiecti sensationes nullo tamen praesente obiecto, pro magnetizantis imperio experitur, quasi nempe elementa magnetica voluntatem magnetizantis intelligant et exequantur; 2<sup>o</sup> magnetizator solo voluntatis nutu non modo personam sopore mersam ad se ita attrahit, ut haec citissime et quovis superato obice illum sequatur, sed ipsam sola voluntate sursum in aërem elevat, ibique suspensam, quamdiu libeat, retinet. Atqui et ista tum virium physicarum legibus, tum actioni instrumenti mere materialis repugnant. Ergo. (De hisce et huiusmodi conf. Monticelli, *Del Mesmerismo*, P. I, et Caroli, *Del Magnetismo animale*, tom. I.).

Et haec pauca e pluribus, quae afferri possent, sufficiant, ut constet, 1<sup>o</sup> ad definiendum, licitusne, an illicitus censendus sit magnetismi usus, inconsulto quosdam quaestionem universam eo convertere,

an phaenomena somnambulismi magnetici quidpiam consimile praeferant phaenomenis aut naturalis somnambulismi, aut feminae sive cataleptico sive hysterico morbo laborantis; 2<sup>o</sup> nihil huc ea pertinere, quae tradere solent Theologi *in dubio, num causae naturali, an praeternaturali effectus adscribi debeat*: nam seu morbi seu causae alterius naturalis nullum hic indicium, nulla ne tenuiter quidem probabilis coniectura suppetit; causam vero adesse praeternaturalem gravissimae suadent rationes; 3<sup>o</sup> inconsultissime demum eos agere, qui nulla adhibita diligenti indagine, quid hoc rei sit, quid agatur, quid mali, quid periculi timeri queat, fideles proprio cuiusque arbitrio temere permittunt, excusationem sane ab ignorantia invincibili apud aeternum Iudicem aegre habituri.

(24) Auctor non indicat, cuiusmodi fuerit usus magnetismi, qui a S. Congregatione tamquam illicitus proscribitur. Clariss. Petrus Scavini (*Th. Mor. Tr. 5. disp. 3. cap. 1.*) innuit, propositam fuisse quaestionem de magnetismo cum circumstantiis non raro incidentibus, nempe *quod magnetizatus evidenter indoctus illico cernitur doctissimus, legendi nescius scripta arabica, etiam clausa, legit absque oculorum usu, obtemperat magnetizanti, etsi pluribus leucis ab ipso distet, aliaque id genus agit, quae naturales effectus simpliciter haberi non possunt. Item quod magnetismus plerumque habet locum cum personis diversi sexus non sine magno honestatis periculo.*

Debreyne tamen (*Essai sur la Theolog. moral.* pag. 322.) quaestionem S. Sedi propositam sic aliter refert: *Dans les opérations magnétiques il existe une tendance à la mécréance, et à la corruption de des mœurs; on désirerait*

dem anni. Exponebatur autem quaestio cum variis effectibus et circumstantiis, quae in magnetismo ordinarie evenire solent, ut sequitur:

*pour la tranquillité des consciences, connaître à ce sujet, quelle est la véritable opinion du Saint-Siège.* Et haec forte magis respondent textui Auctoris, qui dicit, propositam fuisse quaestionem *in genere* de usu magnetismi.

Quidquid sit, non inaniter finguntur pericula tum circa fidem, tum circa morum honestatem. Et dupliciter quidem fidei periculum impendet. Nam 1<sup>o</sup> isti somnambuli magnetici, non secus ac tabularum et spirituum responsa, saepe quidpiam effutiunt vel contra veritatem religionis christianae catholicae vel etiam contra aliquos fidei articulos, eos praesertim qui immutabilem et aeternam respiciunt reproborum poenam: quo etiam spectat, quod scelestos quosdam homines sine poenitentia defunctos depraedicanant tamquam in caelis beatos, et alios contra, de quorum aeterna salute nulla adest desperandi ratio, velut detrusos ad tartara designant; 2<sup>o</sup> ex his phaenomenis quasi naturalium virium effectibus, ansa sumitur detrahendi tum auctoritati miraculorum, tum honori ac vi gratiarum, quas appellare *gratis datas* solemus.

Quod spectat autem ad morum honestatem, sunt profecto qui tantummodo a gestibus forte inverecundis nonnihil timendum putent; quocirca satis honestati consultum censent, si scenis istis magneticis probus quispiam testis adsistat. Atqui experientia luculenter docet eiusmodi periculum longe latius patere. Etenim 1<sup>o</sup> fere contingit, ut personae magnetizatae vehementi imo vesano amore, et indomabili affectu rapiantur in magnetizantem; 2<sup>o</sup> per altum illum soporem, qui solo magnetizantis imperio excuti potest, obvia adest occasio turpiter abutendi persona magnetizata, quae nec sui tunc compos est, nec dein recordatur aut notitiam ullam eorum habere potest, quae sibi sopore oppressae contingerint; historias mulierum, quae per

id tempus vim passae, gravidas se deinceps obstupescentes deprehenderunt, et refert cum aliis Debreyne (p. 234.), et certa tradit fama; 3<sup>o</sup> dum magneticus sopor ac somnambulismus inducitur, personae magnetizatae, ut facta testantur, venereis motibus ac voluptatibus corripuntur; 4<sup>o</sup> et exinde earum, prout experientia docet, effraenis ad venerea propensio solet consequi; 5<sup>o</sup> cum in magnetizatoris potestate sit ut sensationes quaslibet etiam sine obiecti praesentia pro lubito suo in persona magnetizata excitet ac detineat, hinc alia turpitudinum occasio et scatebra impune grassatur; 6<sup>o</sup> illud demum accedit, quod *scriptores de re magnetica* tradunt, in spontaneo quoque somnambulismo, quem scilicet sibi inducere persona diutino usu instructa valet, potestatem has in se sensationes excitandi inesse. Quae quidem omnia abunde sufficiunt, ut magnetismi usus, utpote latum corruptioni morum aditum aperiens, ipso iure naturae interdictus censi debeat.

Verum praeter et fidei et morum pericula aliae non desunt rationes propter quas illicitus haberi debeat istiusmodi magnetismi usus. Ac primo quidem ex omnium sententia intrinsece malum est, semet ultro conicere in impotentiam omnimodam utendi tum ratione, tum arbitrii libertate, et insuper hanc ipsam prorsus arbitrio committere alterius, qui animae et corporis facultatibus possit abuti, easque ad pessima quaeque flectere. Atqui haec in casu contingunt; nam in confesso est, magnetizatum in soporis ac somnambulismi statu proprii arbitrii non esse, sed totum manere in alterius potestate (V. Caroli, p. I, pag. 414.). Ergo. — Insuper obligatio laeditur, qua et propriam servare vitam, et gravis damni periculum arcere quisque tenetur. Experientia enim constat, ex iis, qui se magnetizari, ut dicunt, permiserunt, alios quidem



## POSTULATUM

*Episcopi Lausanensis circa magnetismum.*

« Eminentissime Domine.

280. — « Cum haec responsa circa magnetismum animaleminime  
« sufficere videantur, sitque magnopere optandum, ut tutius magisque  
« uniformiter solvi queant casus non raro incidentes, infra signatus Emi-  
« nentiae vestrae humiliter sequentia exponit.

« Persona magnetizata, quae plerumque sexus est feminei, in eum  
« statum soporis ingreditur, dictum *somnambulismum magneticum*, tam  
« alte, ut nec maximus fragor ad eius aures, nec ferri ignisve ulla vehe-  
« mentia illam suscitare valeant. Ab solo magnetizatore, cui consensum  
« suum dedit (consensus enim est necessarius), ad illud extasis genus  
« adducitur, sive variis palpationibus gesticulationibusve, quando ille  
« adest, sive simplici mandato eodemque interno, cum vel pluribus leucis  
« distat (25).

« Tunc viva voce, seu mentaliter, de suo absentiumque penitus igno-  
« torum sibi morbo interrogata, haec persona evidenter indocta illico  
« medicos scientia longe superat; res anatomicas accuratissime enuntiat;  
« morborum interiorum in humano corpore, qui cognitu definitaque pe-  
« ritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat (26), eorumque  
« progressus, variationes, et complicationes evoluit, idque propriis ter-  
« minis; saepe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte prae-  
« nuntiat, remediaque simplicissima et efficacissima praecipit.

in ipsa actione morte correptos fuisse (Vid. Debreyne pag. 314., Caroli, etc.), alios in graves incidisse morbos, alios infirmitatibus deinceps diutinis imo per totam quoque vitam vexatos fuisse, alios vero etiam penitus dementatos mansisse, alios demum ea deinceps pati, quae hominibus a daemone obsessis consueta novimus.

Et ex his manifeste patet, quam incaute quidam, postquam sibi suasere, magnetismi usum superstitionis expertem credi posse, satis id esse iam putent, ut eum licitum et plane fidelium libertati permittendum praedicent. Etsi enim id verum esset, quod longissime abest a veritate, diabolici intervenus suspicandi nullam subesse rationem; at alia multa sunt, eaque satis gravia,

quae fideles ab hisce praestigiis prorsus arcere possunt et debent.

(25) Si simplici mandato, eodemque interno, cum magnetizans vel pluribus leucis distat, iste effectus obtinetur; ergo quidquid iactatur de palpationibus, vel gesticulationibus, vel de fluidi (quocumque nomine vocitetur) emissionem, quasi soporis et somnambulismi causis, ad imposturas et simplicium ludibrium reiiciendum est.

(26) Quidam recurrunt ad summum sensibilitatis (ut aiunt) gradum quo persona sopore mersa potitur. At aliud est sentire, aliud nosse causas, naturam, progressus, futuras variationes, remedia, etc.

« Si adest persona, de qua magnetizata mulier consulitur, relationem  
« inter utramque per contractum instituit magnetizator; cum vero abest,  
« cincinnus ex eius caesarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno  
« tantum ad palmam magnetizatae admoto, confestim haec declarat, quid  
« sit (quin aspiciat oculis) cuius sint capilli (27). ubinam versetur nunc  
« persona ad quam pertinent, quid rerum agat, circaque eius morbum  
« omnia supradicta documenta ministrat, haud aliter atque si medicorum  
« more corpus ipsa introspiceret.

« Postremo magnetizata non oculis cernit, ipsis velatis, quidquid erit  
« illud leget legendi nescia, seu librum, seu manuscriptum, vel apertum  
« vel clausum, seu capiti vel ventri impositum. Etiam ex hac regione  
« eius verba egredi videntur. Hoc autem statu educta, vel ad iussum  
« etiam internum magnetizantis vel quasi sponte sua ipso temporis  
« puncto a se praenuntiatio, nihil omnino de rebus in paroxysmo pe-  
« ractis sibi conscire videtur, quantumvis ille duraverit: quatenus ab  
« ipsa petita fuerint, quae vero responderit, quae pertulerit, haec omnia  
« nullam in eius intellectu ideam, nec minimum in memoria vestigium  
« reliquerunt.

« Itaque orator infra scriptus, tam validas cernens rationes dubi-  
« tandi, an simpliciter naturales sint tales effectus, quorum occasionalis  
« causa tam parum cum eis proportionata demonstratur (28), enixe  
« vehementissimeque vestram Eminentiam rogat, ut ipsa pro sua sa-  
« pientia ad maiorem Omnipotentis gloriam, necnon ad maius animarum  
« bonum, quae a Domino redemptae tanti constiterunt, decernere velit,  
« an posita praefatorum veritate Confessarius Parochusve tuto possit  
« poenitentibus aut parochianis suis permittere.

« 1<sup>o</sup> Ut magnetismum animaleminis characteribus aliisque simili-  
« bus praeditum exercent, tanquam artem medicinae auxiliatricem  
« atque supplementariam;

« 2<sup>o</sup> Ut sese illum in statum somnambulismi magnetici demittendos  
« consentiant;

(27) Si absentis personae nomen, locum, etc. per simplicem cincinni tactum cognoscit, quatenus, quaeso, proportio est inter causam et effectum? Nonne habemus hic superstitiosum illud ariolandi genus, quo ignota et longinqua deteguntur, quodque uti *superstitiosum* in subiecta Congr. S. Officii encyclica damnatur?

(28) Adverte diligenter, et postulatum

Comp. Theol. Mor. — Tom. I.

Lausanensis Episcopi, et consequenter Sacrae Poenitentiariae responsionem ad unicum hanc quaestionem spectare, an *superstitionis crimine* istiusmodi magnetismi usus censi pollutus debeat, atque adeo uti illicitus proscribi. Hoc ipsum ex encyclicis litteris ad Episcopos Ditionis pontificiae a Congr. S. Inquisit. datis quas subiiciemus inferius, clare confirmatum est.



« 3<sup>o</sup> Ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetizatas ;

« 4<sup>o</sup> Ut unum de tribus praedictis suscipiant, habita prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito, omni etiam satanicae interventioni, quoniam hac non obstante cautione a nonnullis ex magnetismo huiusmodi vel iidem vel aliquot effectus obtenti iam fuerunt (29).

« Eminentissimi DD. Eminentiae vestrae.

« De mandato reverendissimi Episcopi Lausanensis et Genevensis humillimus obsequentissimusque servus Iac. Xaverius Fontana, Can. Cancell. Episc.

« Friburgi Helvetiae, ex aedibus Episc., die 19 Maii 1841. »

(29) Ex his illud habes quod et communis doctrina tradit ad excusandum opus a reatu superstitionis incassum protestationes adhiberi, quando ex defectu proportionis inter causas et effectus de diabolico interventu constare satis potest.

Caeterum cum definitum haec habeamus in praedictis interventum daemonis certe adesse; cumque S. Poenitentiariae sententia factis quaestionibus debeat respondere, necesse est concludere, ad aliquod e tribus primis quaesitis responsionem pertinere, in eoque reatum ob daemonis interventum contineri.

Atqui ita inter se colligatas habes tres illas quaestiones, ut una ob superstitionis crimen proscripta, et reliquae necessario eandem sententiam subeant. Et sane si comparatione, uti par est, instituta responsionis huius cum S. Inquisitionis decreto inferius descripto, decernas superstitionis crimen ex rerum ignotarum divinatione se prodere; primum est iam concludere saltem in tertio quaesito, damnationis rationem residere. Censuit igitur Apostolica Sedes, a daemone responsa quaeri et reddi

atque adeo somnambulos istos instrumentum esse, quo diabolus ad decipiendos et irretiendos homines utitur. Atqui hoc posito, eadem profecto damnatio necessario secundum quoque quaesitum, idest ipsum somnambulismum complectitur, et quidem omissis quoque rationibus, quae suadent (Vid. not. a p. 243.), hunc somnambulismi statum a naturalibus causis repeti non posse. Etenim somnambulismus ita cum superstitionis et idcirco damnatis effectibus nequitur, ut etiam abrenuntiatione quavis daemonis operibus praemissa, isti habeantur. Atqui sopor seu somnambulismus, qui non obstante quavis contra daemonis interventum protestatione, se tamen ut daemonis instrumentum prodit, non potest non esse illicitus. Ergo. Atque hinc pronus transitus ad damnationem materiae primo quoque quaesito propositae, nimirum de usu magnetismi ceu de arte medicinae auxiliatrice. Totum enim praesidium a somnambulismo responsisque a somnambulo redditus expectatur. Atqui omnia ex dictis ceu *superstitionis* vitio infecta et ideo damnata ab Ap. Sede censenda sunt. Ergo.

## RESPONSIO

« Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondendum censet, prout respondet: *Usus magnetismi, prout in casu exponitur, non licere.*

« Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 1 Iulii 1841 (30).

Card. CASTRACANE, *m. p.*

Ph. POMELLA, *S. P. Secretarius* »

(*Ami de la Religion, 7 Août 1841.*)

281. — Omissis pluribus aliis eadem de re S. Sedis responsionibus, referre iuvat recentem S. Officii decisionem.

« EPISTOLA ENCYCLICA S. Rom. Inquisitionis ad omnes Episcopos adversus magnetismi abusum.

FERIA IV. DIE 30. IULII 1856.

« In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in conventu S. M. supra Minervam, Em. ac RR. DD. Cardinales in tota Republica christiana adversus haeticam pravitatem generales Inquisitores, mature perpensis iis quae circa *magnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi praesentes litteras encyclicas ad omnes Episcopos *ad magnetismi abusum committendos.*

« Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehiri ex phaenomenis magneticis (31), quibus haud scientiis physicis enu-

(30) Quidam fuerunt magnetismi fautores studiosissimi, qui dictarent, hoc S. Poenitentiariae responsum posterioribus decretis retractatum fuisse, aut saltem non eiusmodi pollere auctoritate, ob quam opposita opinio necessario sit deserenda.

Atqui perperam haec dici, manifesto liquet ex supremae Inquisitionis Romanae litteris Encyclicis ad omnes Episcopos et Inquisitores pontificiae Ditionis datis 21. Maii 1856., in quibus disserte edicitur, praemissum responsum prorsus habendum esse ut Sedis Apostolicae decretum per organum S. Poenitentiariae latum. Sic enim habent: *Fin da quando si cominciarono a divulgare i fenomeni magnetici, consultata la S. S. emanò varie*

*decisioni per organo della Penitenzieria e del S. Offizio relative a particolari casi proposti circa la licitudine od illecitudine dell'uso del magnetismo.* Porro Sedis Apostolicae decreta per organum S. Poenitentiariae lata quoad magnetismi usum licitum vel illicitum nulla sunt praeter hoc S. Poenitentiariae responsum ad Lausanensem Episcopum. Ergo.

(31) Cum S. Congregatio pronuntiet, *compertum esse, novum quoddam superstitionis genus invehiri ex phaenomenis magneticis, et quidem (ut paulo ante dicitur) postquam Emm. Cardinales Inquisitores mature ea perpenderunt, quae circa magnetismi experimenta a viris fide dignis undequaque relata*



« cleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte, vel praestigio, praesertim ope muliereularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent. » (*Relata autem responsione iam data die 28 Iulii 1847* (32) S. Congregatio subdit).

« Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi; tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae (33), potius curiosa sectantes magna cum animarum iactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandique principium quoddam se nactos gloriantur. Hinc somnambulismi (34) et clarae intuitionis, uti vocant praestigiis mulierculae illae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicerent effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis dividendo certo consecuturæ. In hisce omnibus quacumque demum utantur arte vel illusionem, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haeretica, et scandalum contra honestatem morum.

« Igitur ad tantum nefas et Religioni et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adiutrice gratia poterunt locorum Ordinari, qua paternae charitatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adiunctis, expedire in Domino iudicaverint, omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut Dominicus grex

*fuert; nemo non videt, iam et in ipsam Sedem Apostolicam satis iniurios eos esse, qui semet ipsos in toto humano genere oculatos venditantes, seu imposturas haberi ea volunt, quaecumque de phaenomenis magneticis naturales vires praetergradientibus narrantur.*

(32) Hanc responsionem videsis infra insertam litteris encyclicis ad Episcopos et Inquisitores pontificiae Ditionis.

(33) Sapienter haec subinfert S. Congregatio, ne quis scilicet ansam calumniandi sumat, quasi studia reprobentur, quae

circa magnetismi terrestres phaenomena, fluentis electricis debita, a physices peritis versantur. At enim iam diximus, quotquot doctis hanc scientiarum physicarum partem excoluerunt, ad unum omnes de confecto isto magnetismo animali, cui somnambulismi praestigiae debentur, aut siluisse penitus, aut cum contemptu velut de meris circulatorum imposturis locutus esse.

(34) Adverte, quomodo et huiusmodi somnambulismum S. Congregatio praestigiis accenseat.

« defendatur ab inimico homine, depositum Fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur. »  
« Datum Romae, in Cancellaria S. Officii apud Vaticanum, die 4 Augusti 1856. (35). »  
V. Card. MACCHI. »

(35) Praeterea s. Poenit. 1. Febr. 1882. declaravit, assistentiam etiam mere passivam spirituum consultationibus et lusibus illicitam esse ratione scandali et periculi propriae salutis, quae nunquam penitus absunt (Bucceroni *Enchir.* p. 32.).

Praestat haec subiicere et encyclicas litteras a S. Officii Congregatione ad omnes Episcopos et Inquisitores pontificiae Ditionis an. 1856. datas.

*A tutti i Vescovi ed Inquisitori dello Stato pontificio.*

*Fin da quando si cominciarono a divulgare i fenomeni magnetici, consultata la S. Sede emanò varie decisioni per organo della Penitenzieria e del S. Offizio relative a particolari casi proposti circa la licitudine od illecitudine dell'uso del magnetismo. Riguardo poi alla massima generale dopo profonde discussioni nella feria IV., 22. Luglio 1847., rinnovando le risoluzioni del 23. Giugno 1840., si decretò quanto segue. « Remoto ogni errore, sortilegio, esplicita aut implicita daemone invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vitatus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturalales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haeretica ».*

*Quantunque con tal decreto sembrasse conciliarsi ciò, che riguarda la scienza fisica, e la repressione di viziose e riprovevoli applicazioni ma-*

*gnetiche; pure una trista esperienza ha fatto conoscere il bisogno di più efficaci provvedimenti. Imperciocchè non viene adoperato il magnetismo coi debiti modi e a naturali onesti fini: ma secondo i continui reclami di ragguardevoli soggetti avanzati da molte città dello stesso Stato pontificio, sonovi dei magnetizzatori, che osano applicare il magnetismo a non naturali fini con gravissimo danno della privata e comune pubblica moralità, servendosi di donne soggette ad incomposti atteggiamenti, con pretendere anche d'indovinare e rivelare occulti e futuri eventi. Pertanto non essendo cotali spettacoli disgiunti da una illecita ed irreligiosa illusione, si è giudicato necessario di onninamente proibirli, e castigarne gli autori, i cooperatori ed i fautori.*

*Per la qual cosa s'ingiunge a tutti i Vescovi ed Inquisitori delle nostre province d'invigilare sopra ciò, e di procedere sommariamente in via economica inspecta rei veritate, previo il parere di timorate e dotte persone, proporzionando le pene alle delinquenze colla carcerazione determinabile nel tempo giusta la maggiore o minore reità, e tenendone informata la Suprema, particolarmente quando l'uso del magnetismo qualificato di circostanze eretiche esigesse rigoroso processo a norma dei sacri canoni.*

*Questa circolare sarà diramata ai Vicarii distrettuali, e se ne procurerà l'esatto adempimento.*

*Roma, nella Cancelleria del S. Offizio presso il Vaticano, feria IV., 21. Maggio 1856. V. Card. MACCHI.*